



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XXI. Vtrum de potentia Dei absoluta possit peccatum mortale, sine
actu peccatoris, per solam infusionem habitus remitti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

bet connaturalem repugnantiam cum peccato, non inde sequitur cum æquali necessitate illi repugnare. Quod enim gratia vnionis habeat illam repugnantiam, etiam in ordine ad potentiam absolutam, provenit ex singulari excellentia suppositi diuini, cui propter infinitatem, & bonitatem suam, & infinitam rectitudinem voluntatis intrinsece repugnat omne peccatum in assumpta natura, etiam si non ab eodem supposito fuerit commissum, sed ab alio relictum, vel contractum, quia eo ipso, quod illa natura per assumptionem sit vera natura ipsius Dei, & vnum suppositum cum illo substantialiter componit, ad puritatem, & sanctitatem ipsiusmet diuini suppositi pertinet, ut eam accipiat nudā à peccato. Quæ ratio non procedit in gratia habituali, quia nec constituit ipsum suppositum operans, nec indeclinabiliter regit suppositum, in quo est, neque illi potest tribui defectus culpæ, qui in tali supposito fuerit.

35. Et præterea hæc differentia ostenditur in eo, quod gratia vnionis etiam venialem culpam, siue actua-
Discrimen lem, siue habitua-
inter gra- lem, siue habitua-
tiam habi- lem in natura, quam significat, per-
tualem & mittere non potest, propter inhærentiam (ut ita di-
gratiam cam) & singularem modum, ac excellentiam sancti-
vnionis by ficationis: gratia autem habitualis simul esse potest
possi. cum peccato veniali actuali, & habituali. Ergo ex vi
aquiparationis non cogimur dicere, ita necessitari
Deum ex hypothesi ad delendum peccatum ab ho-
mine, in quo gratiam habitua-lem ponit, aut conser-
uat, sicut necessitari ad mundandam naturam,
quam assumpsit, ab omni macula, si prius erat macula-
ta in aliquo supposito creato, vel ad conseruandam
illam omni simili malo, postquam est assumpta. Imo
ab speciali potest argumentem in contrarium retor-
queri. Nam de Christo id docent Theologi propter
singularem excellentiam diuini Verbi, & modum
vnionis eius: imo etiam de illo multo certius cen-
sent, non peccare in natura assumpta, quam non po-
tuisse assumere naturam maculatam culpa in priori
supposito creato, non mundando illam à culpa, quia
illa culpa nō ita imputaretur Verbo, ac si esset ab ipso
post assumptionem naturam commissa: & quamuis v-
trumque verisimum censent, semper nituntur in
singulari excellentia Verbi, seu gratiæ increatæ. Nul-
la ergo illatio inde fieri potest ad gratiam creatam.

36. Exclusa vero illa equiparatione, aliæ coniectu-
ræ, quæ adduntur, non videntur magni momenti,
ut dicamus, seclusa omni promissione Dei, ex sola
suppositione voluntatis dandi illam qualitatem
necessitari Deum ad remittendum, vel tollendam
omnem peccati mortalis maculam præexistentem
in tali persona, vel ad impediendum, ne peccet,
si vult in illa cōseruare talem qualitatem. Quia etiam
si Deus prius vellet sine posteriori, nihil faceret in-
ordinatum, nec contra aliquam virtutem mora-
lem, seu intellectualem, ut probare videntur quæ su-
pra de charitate, & actuali peccato adduximus, nam
Vide cap. 1. fere est eadem ratio de qualitate gratiæ. Et ita ex parte
nam 16. modi operandi Dei non videtur esse tanta neces-
sitas, neque in rebus ipsis ostenditur per illas conie-
cturas. Nam prima de filio adoptiuo ostendit opti-
mum, & connaturalem ordinem, non vero absolu-
tam necessitatem, ita ut in opposito implicatio
contradictionis inueniatur. Idem fere est de secunda
coniectura, nam licet opera Dei sint perfecta, non
ita cogitur Deus in illis dare perfectionem, & con-
summationem, ut non possit ex libertate sua aliter
illa facere. Nec formale peccati ita est fundatum in
physica priuatione gratiæ, ut ab illa essentialiter pen-
deat, nec indiget sustentatione, aut conseruatione
Dei, ut duret cum gratia, sed sufficit, ut non remit-
tatur, seu auferatur, vel ut fieri permittatur, sic-
ut supra declarauimus. Quocirca ille miraculosus effe-
ctus potest provenire potius ex miraculosa, & beni-
gna conseruatione gratiæ, quæ ad plures fines opti-
mos ordinari possit. Et quamuis ex parte peccati eius

Part 3.

permissio, vel non remissio esset extraordinaria, et-
iam posset ad fines diuinæ sapientiæ ordinari, etiam
si culpa, vel duratio eius à Deo non sit intenta. Pro-
pter hæc ergo nunquam potui hanc necessitatem di-
uinæ voluntati tribuere, neque implicationem in di-
cto opere reperire. Non nego tamen, quin alia opinio
sit probabilis propter speciem pietatis, quam habet,
tum in eo, quod excellentiam gratiæ extollere vi-
detur, tum etiam in eo, quod calumnias hæretico-
rum huius temporis longissime studet euitare.

Quæres an ea, quæ diximus æque procedant in
peccato originali, & in personali habituali? Respon-
deo, non oportere ad originale omnia extendi, ita vt
principio capitis sequentis breuiter explicabo.

CAPVT XXI.

Vtrum de potentia Dei absoluta possit peccatum mor-
tale sine actu peccatoris per solam infusionem
habitus remitti.

Hæc quaestio locum non habet in peccato origi-
nali, quia non solum de absoluta potentia, sed de
lege, ac frequenter ita dimittitur, quando est solum,
& sine confortio peccati personalis. Ita enim supra
ostendimus de infantibus per baptismum, & olim
per circumcisionem, vel per sacramentum legis na-
turæ iustificari. Postea eodē modo remitti adultis
per baptismum, si aliud proprium peccatum non ha-
berent, quamuis in eis semper requiratur saltem a-
ctus fidei, & consensus in baptismum, non tam pro-
pter remissionem peccati, quam vt fiant capaces ba-
ptismi, & vt voluntariè fidem profiteantur, & diui-
nam generationem, ac filiationem acceptent. Quod
quidem ex sapientissima ordinatione diuina ipsis
rebus, & humanæ conditioni satis consentanea ne-
cessarium est.

At vero de absoluta potentia Dei manifestum
est, potuisse etiam adultos iustificari à peccato origi-
nali, & sine sacramento, & sine vilo actu suo per
solam voluntatem Dei infundentis gratiam: Est
que in hoc peccato specialis ratio, quia hoc pecca-
tum non est voluntarium propria voluntate perso-
nali, & ideo facile potest sine actu propriæ volunta-
tis dimitti per infusionem iustitiæ illi peccato for-
maliter repugnantis. Nam licet illud peccatum dica-
tur voluntarium per respectum ad voluntatem pri-
mi parentis, illud magis se tenet ex parte efficientis,
quam causæ formalis, & ideo potest per formam ipsi
peccato contrariam sufficienter auferri, etiam si mo-
dus ex parte efficientis non sit omnino idem. Eo vel
maxime, quod cum illud sit voluntarium secun-
dum quid, & in alio, potest per alienam volunta-
tem suppleri, sicut dicitur baptismus voluntarius
paruulo voluntate parentum, aut offerentium, &
iustitia potest dici illi voluntaria voluntate sui capi-
tis Christi. Et si Deus voluisset illam sine Christo in-
fundere, sola voluntas Dei sufficeret.

Vnde infero, quod in fine capitis præcedentis in
hunc locum remissi, non solum posse fieri remissio-
nem peccati originalis per solam habitua-lem iusti-
tiam, sed etiam fieri non posse, vt homini habenti
solum originale peccatum infundatur talis iustitia,
& peccatum originale non excludatur, seu dimit-
tatur quoad id, quod habet rationem culpæ. Quia
tota macula originalis peccati consistit in carentia
gratiæ vt voluntaria in Adamo; non potest autem
infundi gratia, quin auferatur illa carentia, & con-
sequenter tollatur culpa originalis. Quia si caren-
tia illa non manet, neque vt voluntaria, neque, vt
involuntaria manet. Et præterea ablata illa, nulla
alia moralitas relinqui potest in homine genito ex
Adam, quia illud actuale peccatum, quod Adam
commi-

O 2 commi-

commisit, non censetur manere moraliter in filiis eius, nisi media carentia gratiæ, & filiationis, quam in illo perdidit. Et ideo restituta gratia, necessario aufertur tota culpa ex Adamo contracta. Quanquam possit manere aliquis reatus pœnæ, nam ad illum sufficit respectus moralis ad peccatum actuale primi parentis, ut fuit capitale.

^{4.} *Precipue de gratia habituali corollariū verum habet.*
Hoc autem precipue intelligo de iustitia inhærente quoad habitum gratiæ: nam illa est, quæ formaliter, & quasi essentialiter constituit hominem filium Dei adoptivum, & consequenter per illam traducitur ex statu filiorum Adæ in statum filiorum Dei. Quocirca si charitas est infusa gratia, illa infusa, non poterit non tolli peccatum originale de potentia Dei absoluta. Si autem gratia est distincta à charitate, ut esse credimus, hoc maxime procedet de gratia ipsa, etiam si Deus (quod facere posset) illam solum infunderet, quia illa est essentialiter, & quasi eminenter tota iustitia, ut supra declaravi, & quia sola vere constituit filium Dei. At vero si è contrario sola charitas infunderetur, non esset tanta necessitas, iuxta dicta in principio capitis præcedentis, quæ in hoc etiam puncto cum proportionem procedunt. Quia supposita dicta distinctione, habitus charitatis solum datur ut principium connaturale optimorum actuum supernaturalium, non vero ut forma per se constituens hominem Dei filium, & diuinæ naturæ participem.

^{5.} *Quæstio est de habituali peccato.*
Peccatum actuale non potest simul fieri & remitti.
Omiso igitur originali peccato, quæstio tractatur de personali habituali, nam actuale, dum est, remitti non potest, ut est per se notum, quia peccatum, quod remittitur tollitur, ac destruitur, (de hac enim remissione loquimur, non de ficta non imputatione hæreticorum, ut supra declaratum est) peccatum autem dum actu fit, non potest pro eodem tempore destrui, seu tolli, quia contradictio inuoluitur manifestata; non potest ergo simul fieri, & remitti, ideoque vel pro illo tempore non potest infundi homini peccanti habitus gratiæ, vel si infundi potest, ut nos diximus, clarum est, non posse sufficere ad remittendum tale peccatum pro eodem tempore. Solum ergo superest dicendum de habituali peccato per actum propriæ voluntatis inducto. De quo etiam supponimus, de lege non remitti sine actu peccatoris, quia nec gratia infunditur sine tali actu, ut in cap. 16. tactum est, & in libro sequenti latius est dicendum: inquirimus ergo, an eo modo, quo nunc est necessarius actus, sit tanta illa necessitas, ut etiam in ordine ad potentiam absolutam Dei aliter fieri repugnet.

^{6.} *Opinio 2. circa tituli quæstionem.*
In quo puncto prior sententia est, implicare contradictionem, peccatum propria voluntate contractum sine aliquo actu eiusdem voluntatis remitti, etiam si gratia habitualis homini infundatur. Ita docuit Soto in quarto, distinctione decima quinta, articulo secundo. Quamvis non dicat expresse, per infusum gratiæ habitum non posse remitti peccatum sine actu, tamen cum absolute loquatur, & indistincte, sine dubio illum etiam sensum comprehendit. Et inclinatur Petrus Soto lect. quarta de Pœnitentia, licet non cum omni determinatione id asserat. Videturque huic sententiæ favere Divus Thomas tertia parte, quæstione 86. articulo secundo, ubi prius dicit, hominem offendere Deum, dum sua voluntate convertitur ad creaturam, & ideo ad remissionem talis offensæ necessarium esse, ut voluntas hominis mutetur per conversionem ad Deum, & detestationem prioris conversionis ad creaturam. Unde ita concludit. *Et ita impossibile est, ut aliquid remittatur peccatum sine pœnitentiæ virtute.* Quod Soto vult intelligi simpliciter, & in ordine ad absolutam potentiam, quia Divus Thomas dicit, non posse peccatum remitti sine pœnitentiæ virtute, possit autem sine pœnitentiæ sacramento. At vero loquendo de lege, & potentia ordinaria non potest remitti peccatum sine sacramento pœnitentiæ: ergo de maiori impossibili-

litate intelligitur, cum dicitur, non posse remitti sine pœnitentiæ virtute; ergo intelligitur de impossibili etiam per potentiam absolutam. Deinde ratio Divi Thomæ hoc videtur suadere, estque fundamentum huius sententiæ, quod potest in hunc modum proponi iuxta ea, quæ de macula peccati diximus.

Nam macula peccati non est sola physica privatio habitualis gratiæ, sed et est moralis deordinatio maculæ. ^{7.} *Fundamentum*
nens ex peccato actuali præterito, & non retractato; sed quoad hanc posteriorem partem impossibile est remitti peccatum sine actu proprio peccatoris, ergo. Maior supponitur ex dictis. Minor probatur, quia quamdiu prior conversio non retractatur aliquo modo ab eodem homine, semper habet eandem moralem rationem permanendi in ipso, nimirum, quod illam conversionem voluntariè habuit, & nunquam retractavit; ergo necessario durat: ergo impossibile est, auferri per solum infusionem habitus, nam habitus non tollit, nec diminuit illam rationem permanendi. Nam si illa permanentia explicetur per modum relationis, semper manet eodem fundamentum, & terminus, si vero intelligatur per modum moralis adhesionis, semper voluntas manet eodem modo adherens creaturæ, ac subinde eodem etiam modo aversa à Deo. Si autem per modum privationis moralis consideretur, sic est privatio moralis conversionis in Deum, quæ non potest, nisi per moralem conversionem in Deum, expelli, quia privatio non tollitur, nisi per oppositam formam.

^{8.} *Fundamentum*
Secundo, habitus realis præcisè spectatus, ut est quædam forma physica, non potest expellere per se, & immediate moralem habitum, seu relationem, nisi hæc fundetur in physica carentia talis formæ, scilicet, quod est morale in macula peccati non fundatur in physica privatione habitus gratiæ; ergo non potest per illam solum expelli. Maior patet, quia illi duo habitus physici, & moralis sunt diverſi ordinis, & ideo non possunt esse per se, & directe contrarii, quia contraria eiusdem generis esse debent. Solum ergo possunt habere inter se repugnantiam quasi indirectam, seu per quandam consecutionem, quæ non potest esse alio modo, nisi quia morale fundatur in physico, sicut moralis malitia peccati comitatur realem actum, vel alio simili modo. Quod autem in presenti non ita sit, sicut in minori subsumitur, probatur, quia privatio gratiæ, quæ sit per actuale peccatum, non fundat moralem conversionem voluntatis, sed potius sequitur ex illa; ergo illa moralis conversio actualis est per se prior. At illa sola eo ipso, quod semel facta est, & non retractata, est sufficiens ratio maculæ peccati moraliter permanentis; ergo licet per infusionem gratiæ tollatur physica privatio eius, non tollitur moralis deordinatio peccati, quia neque directe id fit, neque indirecte tollendo nimirum fundamentum eius. Ablato enim posteriori, non tollitur, quod est prius, physica autem privatio gratiæ est quid posterius ad moralem deordinationem peccati comparata.

^{9.} *Fundamentum*
Tertio argumentatur Soto, quia impossibile est Deum remittere homini peccatum, nisi illum diligendo, & in gratiam suam recipiendo, non potest autem eum diligere hoc modo, nisi sit vere iustus, & bonus, & dignus tali amore, ergo si antea homo erat peccator, non potest ita diligere Deo, nisi voluntatem, quam antea habebat à Deo averse, in ipsum convertat per proprium actum. Probatur ultima consequentia, quia sine illa voluntatis suæ mutatione non potest homo fieri bonus, & iustus; quia sicut non potest fieri peccator in hoc genere, nisi per propriam conversionem, & aversionem, ita non potest fieri bonus, nisi per oppositam conversionem.

^{10.} *Secunda opinio*
Contraria sententia semper mihi vera visa est, ut dixi in tom. 4. tertiæ partis, disputatione 9. scilicet. Secunda, Vbi Scorrum, Gabrielem, Okam, & Ioannem Medinam pro hac sententia allegavi, quos nunc omitto.

omitto, quia falso nuncitur principio, quod supra indicavi, & iterum in capite 22. dicam. Tenent eandem sententiam Richardus in quarto, distinctio- ne decima quinta, questione septima, & Vega libro sexto, in Trident. capite quinto, propositione quarta, circa finem, quos allegat, & sequitur Vazquez, prima secundæ, disputatione 207. capite 3. Quam ex alio principio à se stabilito sic ostendit. Potest Deus infundere gratiam habitualem peccatori sine actu illius; sed gratia non potest esse simul cum peccato, etiam per absolutam potentiam Dei; ergo potest Deus per infusionem habitus sine actu peccatoris remittere illi peccatum. Consequentia evidens est. Minor autem probata supponitur, & nos illam nunc non infirmamus, quia ad vim rationis satis est, quod gratia natura sua expellat peccatum, ut videbimus.

11. Ratio Vazquez. Maior est efficaciter probanda, nam ab illa res tota maxime pendet. Dicitur ergo auctor illam probat in hunc modum. Moralis macula, vel denominatio ex actuali peccato relicta, etiam si retractatio peccati nullo modo intercedat, non potest resistere infinitæ potentie Dei, quominus formam gratiæ tali persone infundat. Probatur, quia forma, vel denominatio præexistens in subiecto, tunc solum potest impedire ingressum oppositæ formæ, quando vel per se est immutabilis, ut est hæc denominatio de præterito, peccasse, aut est talis forma, quæ à fortiori agente conferretur. Sed neutrum habet illa macula peccati; ergo non potest impedire infusionem gratiæ. Minor supponitur, ut clara, quia, si agens est potens ad introducendam formam, & aliud fortius non resistit conferuando contrariam, & illa de se est mutabilis, & expellibilis à subiecto, nulla ratio sit peresse potest, ob quam non possit tale agens inducere in tale subiectum huiusmodi formam, & per illius introductionem contrariam expellere. Minor autem non minus clara videtur, quia macula peccati non conferuatur ab aliquo agente fortiori, & de se mutabilis est, expellique potest à subiecto.

12. Ratio Vazquez. Hæc autem probatio non videtur efficax, maxime in doctrina illius auctoris, nam ad hominem infirmari posse videtur. Quia actuale peccatum non pendet à fortiori agente, quam sit Deus, nec est forma de se immutabilis, & tamen homini actu peccanti non potest Deus infundere gratiam. Dicitur, immo posse Deum illam infundere, sed infundendo necessario esse facturum, ut homo cesset à peccando. Sed contra primo quia per infusionem gratiæ solam, ac præcise spectatam non potest Deus actuale peccatum ab homine tollere, sed necesse est, ut alia via, prius saltem natura, faciat hominem cessare à peccato actuali, ut ei possit gratiam infundere. Et ratio est supra facta, quia habitualis gratia, ut sic, non opponitur actuali peccato. Item quia vel peccatum est commissio, seu per positum actum liberum committitur, & tunc necesse est, ut vel Deus neget concursum ad talem actum conferuandum necessarium, vel dinerret cogitationem hominis, & aliam immitat; quæ in alium actum hominem inducat: si vero peccatum sit puræ omissionis, ipsa in se non pendet à concursu, sed per nouum actum, & consequenter per nouam cogitationem, quæ ad illum inducat, tollenda est; hæc autem fieri non possunt per infusionem gratiæ habitualis præcisè, neque ex vi informationis eius, ut sic: ergo formaliter, ac per se non potest Deus infundere gratiam in subiecto affecto actuali peccato, etiam si tale peccatum neque immutabile sit, neque à fortiori agente conferretur. Cuius etiam ratio est, quia tale peccatum non est mutabile illo modo, scilicet per habitum, sed alia via cessare prius debet, ut declaratum est. Idem autem dici potest de peccato habituali seruata proportionem, quia licet non conferretur à fortiori agente, eo ipso fortius inheret, quam actuale peccatum,

Pars 3.

quod nullo indiget effectu conferuante, nec per suspensionem alicuius concursus cessare, aut aboleri potest; sed conferuatur quasi formaliter à præcedente actu, quamdiu moraliter permanet, id est, quamdiu non retractatur, ut contraria opinio contendit.

Quapropter iuxta contrariam opinionem, responderi poterit, quamdiu præcedens actus non immutatur aliquo modo, non posse Deum inducere formam habitualem, quæ illam denominationem, & maculam peccatoris auferat, quia per gratiam habitualem, ut sic, non immutatur actus ille prout per illum mansit voluntas virtualiter, seu moraliter adhaerens obiecto peccati auerfa à Deo: ergo illa ratione non videtur sufficienter probari, posse gratiam infundi peccatori nullo modo detestanti prius peccatum, magis, quam possit infundi peccatori non prius cessanti ab actu peccati. Nam licet status peccatoris sit mutabilis, dicitur, non esse mutabilem illo modo, nec per illam formam non adiutam ab aliquo actu. Et licet illa macula non conferretur à fortiori agente, imo nec ab aliquo agente, tamen sine illo conferuante magis adheret, quam si à fortiori agente conferuaretur, ut declaravi. Vnde Maior etiam propositio, quæ supponitur ut clara, negari facile potest, quia si forma, aut denominatio expellenda per aliam formam non penderet ab illo agente, & expelli non possit, nisi certo ordine, & modo, impossibile erit inducere formam expellentem talem denominationem, seu formam, non seruato illo ordine, & modo. Exemplo res declaratur, nam si voluntas sit carens actu dilectionis, carentia illa non conferuatur à fortiori agente, quia nullo modo indiget conferuante, & tamen, nisi præcedat intellectus aliqua cogitatio, non poterit Deus inducere in voluntatem actum expellentem talem priuationem, quia ille est ordo essentialis. Ita ergo in presenti dicitur, etiam si denominatio peccatoris non penderet à conferuante, nihilominus non posse Deum infundere formam expellentem illam, nisi seruato modo, & ordine necessario, ut illa denominatio mutabilis, & auferibilis sit, quod non sit quamdiu voluntas in priori actu virtute permanet.

Hinc ergo non desunt Theologi, qui licet dicant, gratiam habitualem non posse simul esse cum peccato de potentia absoluta, nihilominus defendendo quoad hanc partem sententiam Soti, negant, posse Deum infundere gratiam peccatori non detestanti peccatum commissum aliquo modo, quia talis homo est incapax effectus formalis habitualis gratiæ, & consequenter etiam est incapax eiusdem gratiæ, quia non potest inherere ubi suum effectum formalem non conferat. Quod autem ille homo sit incapax effectus illius formæ, ut expellitur peccati, probant, quia gratiæ habitus per se, ac præcise spectatus non est retractatio prioris actus liberi, quem peccando voluntas habuit; ergo non mutat voluntatem, quantum ad conuersionem, vel auersionem liberam ex illo actu relicta; sed voluntas si affecta est incapax effectus formalis gratiæ quoad exclusionem peccati; ergo donec ipsamet retractet illum priorem actum, non est capax talis formæ, vel effectus eius, & consequenter non poterit illi infundi habitus gratiæ sine aliquo actu retractationis prioris peccati. Minor probatur argumento supra facto, quia ille actus præteritus non constituit nunc peccatorem, nisi quia postquam factus est à voluntate, non aliter voluntas circa illum se habuit, sed in illo virtualiter mansit, ergo quamdiu in illo actu, & statu eius non fit mutatio, subiectum est incapax, ut ab illo excludatur talis denominatio, seu status existendi in peccato.

Nihilominus omnino verum esse credimus, posse Deum infundere habitum gratiæ homini, qui moraliter peccauit, & postea per proprium actum illum nec formaliter, nec virtualiter retractauit; immo etiam si

13.

Concluditur ratio: nis inefficacia.

Exemplo res sit planior.

14. Placitum quorundam Theologorum.

15. Assertio vera.

Ratio.

etiam si nullum actum bonum post illum malum operatus sit. Hoc ex dictis a nobis euidenter sequitur, quia peccatum actuale non ita resistit Deo, ne habitualem gratiam infundat, nec ita reddit hominem incapacem talis habitus, quin possit Deus illum habitum peccanti infundere, ut supra probaui; ergo a fortiori potest eundem habitum infundere post actualem actum transactum, etiam si noua mutatio per actum in illa facta non sit. Probatur consequentia, quia magis auersa est voluntas per actuale peccatum, quam per maculam, quam relinquit, ut supra late probatum est.

16. *Fundamentum aliud.* Secundo argumentor in hunc modum, quia si aliquis actus necessarius est, vel esse debet simul tempore cum ipsa gratia, & precedere ordine naturæ, vel satis est, quod gratiam subsequatur tempore, vel natura, vel denique opus est, ut aut tempore precedat, aut existens in eodem instanti, ordine autem naturæ precedat: nihil autem horum dici potest; ergo nullus actus est simpliciter necessarius. Minor quoad primum membrum non solum de possibili, sed etiam de facto ostenditur: nam Deus per sacramentum baptisimi, vel poenitentiam homini existenti in peccato mortali, & dormienti, vel frenesim patienti infundit gratiam, cum qua tunc nullus actus hominis simul tempore concurret cum habitu gratiæ; ergo etiam de facto non est id necessarium, sufficit enim in lege Euangelica, quod in tali homine attritio præcesserit cum voluntate sacramenti: & alijs ad veritatem sacramenti requisitis. Quod autem nunc facit Deus per sacramentum, posset sine dubio sine illo conferre, cum sacramentum solum sit instrumentum quoddam voluntarium Deo. Imo etiam nunc interdum id potest contingere ex privilegio martyrij, nam iuxta probabilem opinionem, si homo tantum attritus pro Christo occidatur dormiens, pie creditur, recepturum esse à Deo gratiam. Ergo eandem posset Deus sola sua voluntate sine alia actione interna, vel externa passionis recipientis conferre.

17. *Minor in 2. p. probatur.*

Secundum etiam probatur facile, quia si actus, qui consequitur gratiam, posterior sit tempore, nihil omnino confert ad gratiæ infusionem, ut per se constat; ergo non minus infundi posset gratia, et si actus ille non esset futurus. Idemque argumentum fieri potest, etiam si actus sit in eodem instanti, si omnino, & in omni genere causæ est posterior natura, quam infusio gratiæ, quia tunc etiam nihil confert ad gratiam, seu infusionem eius. Probatur, quia nullo modo est causæ eius, sed effectus; si enim esset causæ, esset prior natura in aliquo genere, cuius contrarium supponitur. Effectus autem non confert aliquid ad productionem suæ causæ; ergo nec ille actus ad infusionem habitus gratiæ; ergo posset sine illo infundi. Et confirmatur primo, quia nec repugnat, id quod est simpliciter prius, fieri sine posteriori, quod principium verum est, etiam de posteriori natura, quando simpliciter, & in omni genere est posterior; quia tunc productio alterius non pendet ab illo, & consequenter non implicabit fieri sine illo. Confirmatur, quia talis actus supponit gratiam receptam in anima; & consequenter habentem in ea suum effectum formalem; ergo supponit etiam in anima capaciter absolutam, ut ei infundatur gratia, etiam si toto tempore præsentis fuerit in peccato mortali, & prima mutatio, quæ in illa fit, sit ipsius gratiæ infusio; ergo sine tali actu præcedit tam ex parte agentis, quam ex parte recipientis, quicquid necessarium est, ut gratia infundatur, ergo subsequens actus non est simpliciter necessarius ad tales productiones, ac proinde sine illo fieri poterunt.

18. *Membrum 3. suadetur.* Superest probandum tertium membrum, in quo esse potest maior dubitatio, quia actus simul concurrens, & ordine naturæ præcedens potest ad infusionem habitus aliquammodo adiuvare. Hinc vero sumi

potest sufficiens ratio, nam actus sic præcedens adiuvare tantum potest per modum congruentis dispositionis; ergo licet talis actus secundum connaturalitatem, & debitum ordinem exigatur, non est, cur simpliciter sit necessarius in ordine ad absolutam potentiam. Probatur consequentia, quia potest Deus inducere formam in materia sine connaturali dispositione, eo, quod nulla contradictio inde sequatur, quia etiam si dispositio desit, habere poterit formam suam effectum formalem, quod in præsentis fortius procedit, quia talis actus ad summum esse potest dispositio moralis, ut dicemus libro sequenti; in tali autem dispositione non potest cum fundamento cogitari tanta necessitas, ut implicet contradictionem sine illa formam infundi. Potestque hoc ex his, quæ iam Deus fecit, persuaderi. Nam dispositio propria, & connaturalis, ut peccatori infundatur gratia, erat contritio, & ad amicitiam in eundem erat dilectio Dei super omnia, & nihilominus Deus in sacramentum non requirit illam quasi connaturalem dispositionem, sed cum sola attritione gratiam infundit. Et licet inter attritionem ea, quæ supernaturalis est, sit magis proportionata, & ideo de lege postuletur iuxta veram doctrinam, nihilominus non desunt, qui naturalem retractionem peccati censent sufficere, quod licet de facto admittendum non sit, non videtur dubium, quin sit possibile, si Deus velit. Cur enim qui primam, & connaturalem dispositionem mutavit respectu sacramenti, non posset etiam secundam, & minus proportionatam mutare respectu suæ absolutæ potentiae, & voluntatis? Hinc ergo ulterius concludimus, etiam sine vlla tali dispositione, actus assensu proinde sine vlllo prævio actu posse Deum habitum gratiæ infundere. Tandem confirmatur hæc pars, Confirmatur quia etiam de facto nullus simultaneus actus necessarius est, quia sufficit præterita attritio, ut in aliquibus casibus paulo antea enumeratis, etiam si non præcesserit talis actus, poterit idem habitus infundi de potentia absoluta. Probatur consequentia, quia actus præteritus attritionis nullam dispositionem physicam in voluntate reliquit, sed ad summum moralem ex lege Dei requisitam, & quasi in eius acceptatione manentem; hæc autem non potest cogitari ita necessaria, ut non potuerit Deus sine illa habitum gratiæ infundere.

Hactenus vero solum probatum est, qualitate gratiæ posse infundi peccatori, nullum actum aliquo modo peccato contrarium habentem, nondum tamen in modo præsentia probatum relinquitur, posse illam gratiam sic infusam excludere peccatum, cum nos dixerimus, posse hunc effectum de potentia absoluta separari à gratia, & à primario effectu eius. Vnde posset quis dicere, tunc separari, quia illud peccatum, quod non est factum involuntarium, non est expellibile, nec separabile à tali voluntate. Neque rationes, quibus nos probauimus, gratiam posse infundi peccatori sine prævio actu, amplius probant. Nam illæ, quæ fundantur in aliquo exemplo, quod de facto inuenitur, semper supponunt aliquem actum perfectum, vel imperfectum præsentem, vel præteritum sufficientem, ut ratio illius, & præcedens peccatum factum sit involuntarium, & gratiæ susceptio voluntaria sit: unde licet recte de facto procedat de infusione gratiæ etiam excludentis peccatum, non recte quoad hoc secundum applicatur quoad questionem de possibili, cum in ea supponatur, nullam factam esse mutationem in peccato commissio quoad rationem voluntarij. Aliæ vero rationes, quæ tantum de possibili ostendunt non repugnantiam, ad summum procedunt de infusione gratiæ secundum se, & quoad primum effectum eius positum, non vero coniungunt quoad hunc secundarium effectum propter virtutem adhesionem voluntarij, quæ semper in peccato manet.

Nihilominus ex illo principio probato, quod habitus

*Ostenditur
1. resolutio.* bitus gratia possit peccatori sine actu eius infundi, recte consequitur, per illum habitum sic infusum posse etiam expelli peccatum. Primo, quia gratia habitualis de se est integra, & sola forma iustificans perfecte, ergo per se sola, & sine adiutorio (ut sic dicam) alicuius actus, est sufficiens ad sanctificandam animam, & mundandam illam à culpa peccati, alioqui esset valde diminuta, & imperfecta iustitia. At vero qualibet forma indita, & inhærens statim habet totum suum effectum, tam primum, quam secundarium, sibi connaturalem, nec potest impediri à forma contraria, sed potius illam expellit, ergo id præstat gratia sic infusa peccatori. Secundo id amplius declaratur, explicando rem ipsam in nostra sententia, quia gratia connaturaliter expellit peccatum, quia connaturaliter habet coniunctam remissionem Dei, sed Deus in eo casu infundendo gratiam, non cogitur negare gratia id, quod ex natura rei illi debitum est, ergo potest infundere illam ex voluntate efficaci condonandi, & remittendi peccatum, ergo hoc satis est, ut gratia infundatur cum suo effectu non tantum primario, sed etiam secundario expulsiōis peccati. Probatur consequentia, tum quia voluntas Dei est efficax, & ideo fieri non potest, ut Deus infundat gratiam ex voluntate remittendi peccatum, & quod peccatum maneat: tum etiam quia gratia nullo modo esset forma sufficiens ad expellendum peccatum, neque primario, neque secundario, cuius oppositum ostendimus. Vnde argumentor tertio, quia licet peccatum sit voluntarie à peccatore commissum, non repugnat absque illius voluntate remitti, dummodo voluntas eius actu non peccet. Ergo potest expelli per solam habitualement gratiam, siue id fiat per solam physicam informationem eius, ut alii volunt, siue fiat per eam, ut procedentem à voluntate Dei condonantis, & remittentis ostensam iuxta modum connaturalem talis formæ, ut nos credimus. Quomodo cumque enim talis remissio fiat, necessarium est fateri, peccatum non tolli sine remissione Dei, & ideo necessarium est etiam probare, posse Deum remittere peccatum voluntarie commissum sine concursu voluntatis eius, qui illud commisit. Et in hoc puncto, ut existimo, tota hæc difficultas consistit. Probatur ergo antecedens, quia commissio peccati pendet per se à libera voluntate peccatoris, est enim proprium opus eius, remissio autem peccati non est opus peccatoris, sed Dei, & ideo per se non pendet à voluntate peccatoris, ergo potest remissio efficaciter fieri à Deo, etiam si illa remissio non sit peccatori voluntaria.

*Ostenditur
2.* Secundo probatur idem antecedens, quia eo ipso, quod peccator cessat omnino ab actu peccandi, status peccati, seu habituale peccatum iam non est illi voluntarium actualiter, nec etiam virtualiter, quia virtuale voluntarium non est sine aliquo actuali voluntario, in quo virtute contineatur, nec etiam dici potest moraliter voluntarium quasi interpretative, quia hoc non inuenitur, nisi interveniente saltem omissione alicuius actus, quem possit quis, & debeat habere: quæ in presenti non interuenit, quia peccator, qui cessavit ab aliquo actuali peccato, non tenetur statim retrahere illud, & ideo supponimus non tantum cessasse à priori peccato, sed etiam ab omni alio actuali mortali, siue commissionis, siue omissionis. Nullo ergo modo potest dici illud peccatum præteritum actu voluntarium, sed ad summum casualiter, & quasi habitualiter. At vero quod hoc tantum modo voluntarium denominatur, optime expelli potest sine voluntate habentis, ergo. Probatur minor quoad ultimam partem, tum exemplo habitus viciōis, qui est illo modo voluntarius, & auferri à Deo potest sine voluntate habentis, tum ratione, quia quod hoc tantum modo voluntarium denominatur, iam est simpliciter non voluntarium, esto non sit contrarie inuoluntarium (ut ita dicam) & ideo mi-

rum non est, quod possit expelli per formam, vel actionem non voluntariam, ac proinde sine actu voluntatis.

Tertio probatur idem antecedens, quia peccatum præteritum non censetur manere nisi per modum cuiusdam debiti, vel cuiusdam moralis dignitatis, vel potius indignitatis personæ, quæ illud commisit, quatenus homo peccando Deo iniuriam intulit, quam in se moraliter retinet, quandiu pro illa non satisfacit, & ratione illius indignus est amicitia diuina, imo dignus odio eius, & ira, ac subinde debitor pænæ. Sed debitum etiam si voluntarie contractum sit, potest à persona offensa remitti siue voluntate debitoris, & facta remissione ipsius iniuriæ, prorsus tollitur omnis ratio offensionis & indignationis, & persona iam non est moraliter digna odio, neque indigna amicitia, ergo licet peccatum voluntarie sit factum, potest auferri ab homine sine voluntario ex parte illius per voluntatem Dei remittentis illud, & per gratiam hominem in suam amicitiam restituentis. Et licet inter homines soleat remissio debiti, sicut & donatio, per voluntariam acceptationem alterius consummari, Deus propter supremum dominium, & efficaciam voluntatis suæ non indiget huiusmodi acceptatione alterius, ut eius donatio, remissio, vel promissio habeat effectum. Eo vel maxime, quod in huiusmodi rebus eo ipso, quod homo non contradicit, censetur consentire, quia in magnam bonum, & commodum eius cedunt. Atque hinc etiam hæc tacita voluntas, quæ veluti talibus effectibus inest, sufficit, ut malum ex propria actione voluntaria relictum per iustificationem habitualement à Deo infusam, & in homine actu non reluctante receptam, possit expelli. Atque hoc ex solutione argumentorum, & ex dicendis in cap. 22. evidentiū fiet.

Ad fundamenta ergo contrariæ sententiæ respondetur, in primis ad Diuum Thomam sufficienter intelligi secundum ordinariam legem, ut Caietanus, & Ledesma illum explicant. Neque coniectura Soti est alicuius momenti, imo potest in contrarium retorqueri, nam sacramentum pœnitentiæ non solum non est necessarium de potentia absoluta, verum etiam nec de lege ordinaria ad remissionem peccati, quia sepe sine sacramento remittitur. At, inquit Soto, sine sacramento in re, vel in voto non potest remitti. Sed contra hoc instatur, tum quia D. Thomas loquitur de sacramento in re suscepto, ut ex litera patet, tum etiam quia non loquitur solum de iustificatione, quæ nunc fit in lege Evangelica, sed absolute de remissione peccati secundum se, quocumque tempore fiat, unde adducit in exemplū remissionem peccatorum Magdalene, & mulieri adulteræ concessam Luc. 7. & Ioann. 8. & in argumento *Sed contra*, adducit promissionem factam per Ieremiam cap. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, &c.* Quæ absolute de remissione peccatorum facta est, at vero in hac generalitate loquendo, remissio peccati possibilis est sine sacramento pœnitentiæ tam in re, quam in voto, secundum ordinariam potentiam, & legem seruata à Deo aliis temporibus, pœnitentiæ autem virtus ita est necessaria, ut semper, & in omni tempore non potuerit remissio peccatorum sine pœnitentia obtineri. Vnde cum hoc solum confirmet D. Thomas ex promissionibus, & operibus Dei, profectio solum necessitatē de lege ordinaria probare intendit. Adde denique etiam si comparatio fieret inter necessitatem virtutis pœnitentiæ, & sacramenti in re, vel in voto, adhuc esse magnum discrimen inter utranque necessitatem, etiam intra latitudinem legis, seu potentiæ ordinariæ. Nam sacramentum pœnitentiæ tā in re, quam in voto est necessarium tantū ex lege Dei extrinseca, & mere positiua supra id, quod ex natura rei necessarii videbatur: at pœnitentia virtus necessaria est ex intrinseca natura talis effectus, ita ut hæc necessitas dici possit intrinseca, & innata, altera extrinseca, & aduentitia, & ideo hæc necessitas absoluta, &

*Probatur 3.
posse peccatum sine peccatoris voluntate remitti.*

*23.
Diluntur
fundamēta
oppositæ opi
nionis.*

*Instantia
Soti, quæ in
ipsum retor
quetur.*

perpetua fuit, altera vero minime, sed in lege noua est addita: unde si nunc remitteret Deus alicui peccatum sine sacramento poenitentiae tam in re, quam in voto per absolutam dilectionem, aut contritionem sine respectu ad sacramentum, esset quidem dispensatio in lege suscipiendi sacramentum, vel confitendi talia peccata, non tamen esset proprium miraculum.

Miraculose Si autem iustificaret ad ultimum, eique peccata praesertim personalia sine ullo actu eius dimitteret, esset non solum dispensatio in lege, sed etiam esset opus miraculosum, & praeter naturam rerum. De hac ergo necessitate quali intrinseca D. Thomas loquitur, & hanc optime probat discursu suo, non vero quod oppositum contradictionem implicet.

24. Solutio prioris Ad primam rationem negatur minor, iam enim ostensum est, rationem voluntarii non ob stare, quominus macula sine voluntate peccatoris decri possit. Et ad rationem, quia dum peccatum non retractatur habet eandem rationem moralem permanendi, negatur assumptum, quia si a persona offensa remittatur, iam cessat moralis ratio permanendi. Unde licet habitus gratiae praesens, & secundum physicam entitatem, vel informationem consideratus non mutet moralem statum peccati commissi, & non retractati, tamen prout secum affert remissionem personae offensa, multum immutat morale statum, seu permanentiam talis peccati. Hae enim non est sola relatio ad actum praeteritum, ex illa enim solum resultat denominatio peccatoris, quatenus tantum significat aliquando peccauisse, non tamen prout significat esse in peccato, sed ad hoc requiritur relatio ad peccatum commissum, & a persona offensa non remissum. Et haec relatio sufficit, siue peccatum sit a peccatore retractatum, siue non sit. Quia nec retractatio sufficit sine remissione, ut supra ostensum est, & in capite sequenti dicitur, nec remissione interueniente, habere potest iniuria moralem permanentiam, quae necessaria est in termino illius relationis a qua denominatur homo esse in peccato. Unde non est necesse ad talem denominationem fingere aliquam adhaesionem formalem, vel virtutalem ad obiectum peccati habitualiter permanentem in peccatore, quia re vera nulla est, & licet esset aliqua, per habituales iustitias sufficienter tolleretur, & idem est de quacunque priuatione, ut in c. 23. latius explicabimus.

25. Solutio secundae. Ad secundam rationem respondetur in primis ad summum probare habituales gratias non excludere totam rationem maculae peccati physicam, & moralem aequae primo, & immediate per solam physicam informationem, non tamen probare, quin illam possit excludere, saltem secundario, & consequenter, quatenus habet adiunctam remissionem, & condonationem Dei sibi debitam. Nam etiam de facto sola iustitia habitualis est forma excludens omnino maculam peccati dicto modo, siue id, quod est morale in illa macula fundetur in priuatione physica gratiae, siue potius inducat illam, nam ad dictum modum formalis expulsiōis parum hoc refert. Deinde vero addimus, satis probabiliter dici posse, nunc de facto habituales maculam peccati actionis principaliter fundari in carentia reali habitualis gratiae, quatenus est propria priuatio iustitiae debita propria voluntate inducta. Decevit enim Deus, statuta lege non remittere peccatum, nisi per formam gratiae, & ideo quando priuatio eius durat, permanet etiam relatio ad peccatum commissum, ut moraliter permanens, & non remissum. Atque hac ratione licet illa priuatio gratiae per actuale peccatum, tanquam per causam efficientem moraliter, ac demeritorie inducta fuerit, tamen transeunte actione peccati, ipsa priuatio durat, quia est permanentis formae priuatio, & consequenter ratione illius permanet etiam moraliter iniuria illa, seu auersio per actuale peccatum commissum. Unde est contrario ablata priuatio illa per infusionem habitus, consequenter tollitur etiam macula moralis, quia ipsa

gratia secum adducit remissionem Dei, saltem necessitate sibi connaturali.

Ad tertiam rationem Soti, dato pro nunc toto antecedenti in bono sensu (nam in sequenti capite praefatus examinandum est) negatur consequenti, quia sine concursu, vel dispositione hominis potest Deus illum facere vere iustum, & sanctum infundendo illi veram iustitiam, & sanctitatem, & mutando voluntatem eius, non per actum eius, sed per habitum illi infusum. Neque est eadem ratio de statu peccatoris, quia peccatum est proprium opus hominis, non Dei, & ideo non potest Deus hominem peccatorem creare aut facere, sed in peccato actionis homo sola sua actione potest se peccatorem constituere, in peccato vero originis tantum ex actione alicuius hominis constitui potest. At vero statum iustitiae, & sanctitatis potest Deus facere in homine sine homine, imo semper ab ipso solo tanquam a proprio efficiente fieri potest. Et quamuis ex lege ordinaria in natura rerum fundata hoc non faciat Deus sine hominis dispositione, non est tamen necessitas dispositionis tanta, quin de absoluta potentia valeat Deus hominem ex peccatore iustum, & a peccato mundum efficere.

CAPVT XXII.

Utrum sine habitibus gratiae per solos actus possit Deus de absoluta potentia sua peccatum mortale remittere?

Primum omnium animaduertendum est, quod supra dixi, maculam peccati, prout nunc relinquitur ex peccato, includere priuationem physicam gratiae per moralem permanentiam auersionis peccati. Si ergo haec macula integre, & quoad totum, quod includit, auferenda sit, manifestum est, non posse auferri sine habitibus infusis, quia carentia illius perfectionis, & positivae iustificationis, quam talis macula includit, siue sub ratione priuationis, siue sub ratione negationis consideretur, sine positiva forma tolli non potest, ut per se notum est. Unde sicut supra dixi, non posse hominem fieri intrinsece iustum sine iustitia inherente, & permanente in ipso, ita hic ut clarum suppono, non posse peccatum perfecte remitti quoad restitutionem peccatoris ad statum iusti, & sancti, nisi habitualis iustitia illi infundatur, quia talis status sine illa iustitia, per quam per se primo formaliter constituitur, intelligi non potest. Quod ergo nunc controuertitur, est an possit Deus, statum non infundendo habitus, auferre quicquid est culpae, & malitiae moralis in illa macula, & facere, ut illa carentia gratiae habitualis iam non maneat in tali homine sub ratione culpae, sed vel sub ratione poenae, vel sub ratione negationis tantum cuiusdam perfectionis non debita.

In hoc ergo sensu est prima sententia negans, posse remitti peccatum sine habituali gratia infusa, etiam de absoluta potentia Dei. Ita videtur tenere Caiet. 1. 2. quaest. 113. artic. 2. dub. ult. in quo contra Scotum disputat. Inclinat in eandem sententiam Capreolus in 4. d. 1. alias dist. 2. quaest. 2. artic. 3. ad argument. Scoti contra 2. conclusi. cum formidine tamen, nam cum dixisset, credo sine temeraria assertionem hanc esse vera de potentia absoluta, statim addit correptionem, tamen ut securius loquamur restringamus dicta, & dicenda ad potentiam Dei ordinariam. Eandem vero sententiam simpliciter defendit Valentia tom. 2. disput. 8. quaest. 5. puncto. 5. dub. ultim. licet in probationibus a Caietano dissentiat.

Fundamentum huius sententiae est, quia non potest homini peccatum remitti, nisi per formam, quae expellat id, quod hominem in peccato existentem formaliter constituit inuisum Deo, & odio, ac poena aeterna.